



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. IX. Vtrum semper in propria persona adsint viuentibus Spiritus, dum molestias excitant?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

testi esse, prout diuinæ prouidentię visum fuerit. Verum de hoc plura in sequentibus.

## CAP. IX.

*Vtrum semper in propria persona adsint viuentibus Spiritus, dum molestias excitant.*

*Et ostenditur ex omni genere aliquando adesse.*

**D**obus modis intelligi potest Spiritus molestijs, quæ ab ipsis afferuntur, viuentibus adesse. videlicet vel autoprofopos, id est, in propria persona, vel heteroprofopos in persona aliena. Quemadmodum enim quis duplicem personam potest sustinere, propriam, vel alienam; ita potest vel propria vel aliena persona dici adesse, & se exhibere, atque molestus esse.

De Spiritibus igitur, qui molestias mortalibus afferre creduntur, quæstio est, vtrum quotiescunque rebus mortalium interfunt, molestique sunt, semper adsint in propria persona, & quæ fieri obseruantur, ipsi præsent; an non ipsi, sed alij ipsorum nomine, quidquid agitur, perficiant, qui ob id ipsorum personam sustinere & gerere dici possint.

Et quæstio est præcipua de humanis Spiritibus. De Damonibus res adeo quibusdam est certa, vt in illam suspicionem venerint, per hos solos molestias omnes afferri; nullas per Spiritus humanos. Spiritus humanos ita suis locis esse conclusos, vt nunquam exire inde liceat. quocirca & semper illudi viuentium sensibus, quotiescunque sub humana, quam etiam norunt, Spiritus conspiciantur, aut molestent. Et sententia hæc nobiles authores habet teste Maldonato in 6. Lucæ. Nam Chrysostomus in Homil. vltima de Lazaro, aliisque nonnullis locis: Tertullianus in libro de Anima: & Athanasius, aut quisquis author est qq. ad Antiochum q. 11. & 13. & Isidorus lib. 8. Etymolog. cap. 9. & Theophylactus in 8. Matthæi, prorsus negant vnquam fieri reditus animarum defunctorum ad viuos. Sed & cur fieri non conueniat, multas rationes afferunt. Primum, id viuus utile non esse: qui si viuus non credunt, ne mortuis quidem credent, vt Abraham diuiti respondet. Deinde, quod si etiam ipsis oculis damnatorum supplicia homines cernerent, nihilo se magis à peccatis abstinerent.

E 2

Quæstio



Quotidie, inquit Chrysoſtomus, fures & alios reos ad ſupplicia duci vident; & iſdem ſe, propter quæ illi puniuntur, peccatis inuoluunt. Præterea, quod ſi id fieret: progreſſu temporis res in contemptum veniret: & non magis mortui nos, quàm viui commonerent, vt eodem loco Chryſoſtomus inquit. Denique, quod ea res multorum errorum cauſa eſſe poſſet; dum Dæmon fingens ſe ſilicuius mortui animam eſſe, homines ludificaret, & quidquid vellet, illis perſuaderet, vt Tertullianus, Chryſoſtomus & Athanaſius argumentantur. Nam & cum ſciamus, inquit Chryſoſtomus, mortuorum animas non redire: tamen ſæpe Dæmon, per quietem & ſomnium, qua vna ratione poteſt; animarum deſunctorum perſonam ſumit; quid facturum fuiſſe, ſi animas redire ſciret. Ita dicti Patres. Quid nos?

4. Libenter his concedimus Spiritus Dæmoniorum autoproſopos ad ſuperos redire, iſdemque moleſtos eſſe. Ratio fieri poſſe docet. Probat quotidiana exempla. Communis hic omnium conſpirat conſenſus. Nec eſt, quod contrarium demonſtret.

5. Dæmus quoque his, Non ſemper ad eſſe humanos Spiritus, etiam tunc, quando omnino ad eſſe videntur. Quot modis hominum ſenſibus poſſunt illudere Dæmones? Quoties nunc hos, nunc illos exhibent, quando neutri autoproſopos ad ſunt? Quoties tu multus, tragædiasque excitant, quæ ipsis authoribus fiunt, & tamen Spiritibus humanis tribuuntur?

6. Nunc in Angelos lucis ſe transformant Nequam: nunc Dei ſimulant perſonam: nunc Sanctorum hominum; quemadmodum aliàs dictum eſt. Et qui horum poſſunt perſonam effingere, atque diſſimulare; non poterunt Spirituum vel purgandorum, vel damnatorum hominum?

7. Non minor eſt Dæmonum virtus, quàm bonorum Angelorum; ſi quid beneficio naturæ habent, attendamus. at Angelos, & hominum, & Chriſti, & Dei perſonam ſuſtinuiſſe tam eſt certum, quàm quod certiffimum. Quidni igitur perſonam purgandorum Spirituum, atque damnatorum hominum referant aliquando Dæmones?

8. Beatiffimus Auguſtinus, libro de Cura pro mortuis agenda, cap. 13. quod probamus, probat; & ex illo colligit, quod eundem Spiritum quandoque, eodem tempore in diuerſis, maximèque diſtantibus locis apparuiſſe certa experientia probatum ſit: in quibus tamè locis ipſummet reuera fuiſſe perſonaliter non facilè quis dixerit. Et quis eos Spiritus autoproſopos rebus viuentiù ad eſſe aut intereſſe dixerit, quos Necromantici ad viuos reuocare ſe exiſtimant? Quales fue-

RUOT



runt; quos Osthanes, Necromantiae nobilissimus professor, apud Plinium lib. 30. cap. 2. reuocauit: illi etiam, quos Appion per Cynocephaliam herbam, quae in Aegypto vocatur Osyrites, euocauit. & qua patria Homerus, quibusue parentibus esset genitus, docuerunt. Praeterea mortuus, qui sexto Pompeio exitum Pharsalicæ pugnae denunciauit, excitatus ab Eriçtone venefica, apud Lucanum. Omitto his similes. Atque hæc ex sententia S. Thomæ 1. part. quæst. 89. art. 8. ad 2 à nobis sunt dicta.

Cæterum quamuis hæc ita sint, dici tamen non debet, *humanos Spiritus, tam purgandos, quam damnatos, nunquam autoprospicos, ad superos redire*, uiuentibusque excitatis tumultibus & strepitu esse molestos. An fortè loca, quibus ob merita destinati sunt, exire non permittuntur? an exire quidem permittuntur; sed virum infirmitate præpediti, exire nequeunt? An si & hoc possunt, & illud licet; frustra ad uiuos, redirent; quia nullam nec gratam, nec aduersam, cum iisdem possent habere communionem.

Primum dici non debet: *Non est ipsis omnis facultas hac loca egrediendi adempta.* Cælestium Spirituum, siue bonorum Angelorum proprius locus cælum est, non minus atque Purgatorium purgandorum & damnatorum hominum Infernus: veruntamen hi curam nostri gerunt in terris. Idem cælum proprius locus est felicitium Animarum; & tamen cælo ipsas concludere indignum censet B. Hieronymus. Tu, inquit, contra Vigilantium, *Apostolis vincula inycis, ut esse ad diem iudicij cogantur in custodia?* Et rursus. *Cum Diabolus & Demones ubiq; toto orbe vagantur, quare Martyres post effusionem sanguinis tenebuntur inclusi?*

Fortè his conceditur facultas, quia *felices* sunt; nostris purgandis, & damnatis negatur; quia sunt *infelices*. At infelices non minus sunt Dæmones, quorum proprius locus, infernus; qui tamen, ut B. Hieronymus loquitur, *toto orbe vagantur*. Praeterea, quemadmodum illorum non in hoc posita est felicitas, ut ubiuis esse possint: ita neque infelicitas horum in eo; ut vno tantum concludantur loco. Illi felices sunt visione Dei, ubicunque etiam agant: hi infelices sunt supplicij ignis infernalis, quem secum, quocunque deueniunt, circumferunt.

Scio Christi lege & sententia purgandis Purgatorium, damnatis Spiritibus Infernum, esse destinatum: sed exceptionem illa admittit; quemadmodum lex omnis, omniumque Principum sententia. Bonum publicum legislatori semper propositum est. Hoc si lege præterita obtineri potest, legis ratio magna non habetur.

E 1

securo



- 38  
 25. Secundum quoque dici non debet. *Virium imbecillitate non impediuntur* Spiritus humani, cur minus loca sua deserere valeant. Esto, sit grauiſſimum, quod ſuſtinent, ſupplicium, vires tamen miſerorum non frangit, aut debilitat. Vruntur igne, non exuruntur; cruciantur, non moriuntur: Quocirca cum quæ in Spiritibus omnibus eſt, in iſtis non deſideretur, *ſe mouendi facultas*, virium infirmitate ne ad nos redeant, non prohibentur.
26. Et hoc non de ijs tantum Spiritibus dictum volumus, qui ad æthereas ſedes quandoque transferendi ſunt. Omnes, etiam damnatorum hominum Spiritus, oratio noſtra comprehendit; etiam eos, qui in tenera ætate ex hac vita diſceſſerunt; quibus hæc facultas non fuit, ſua, quibus, vt ita dicam veſtiti fuerunt, corpora, circumferendi; illi à corporibus expediti, ſe facile huc, illucq; transferre valent.
27. Præterea quamuis viribus Spiritus vel omnes, vel aliqui eſſent deſtituti, autoproſopos nihilominus viuentium rebus intereſſe poſſent. Nunquid aliorum opera poſſent transferri? Si damnati mox, à corporibus egreſſi, à Dæmonibus rapiuntur ad inferos: ſi purgandi à bonis Angelis deducuntur ad loca purgatoria, quid prohibet, cur minus vtrique locis viuentium per eoſdem reſtituantur?
28. Forſitan nullam cum viuis poſſunt habere communionem hi Spiritus; vt ob id ipſos redire credi non debeat, quod fruſtra venirent. Tertium hoc impedimentum inſinuabatur ſuperius. Sed & hoc nullum eſt. *Poſſunt habere cum viuis communionem: & quidem non exiguam.* Quid ita? Poſſunt ſe in corporibus, quæ circumferunt, viuentibus exhibere: Poſſunt tumultus excitare: Poſſunt moleſtia afficere: Poſſunt his ſimilia haud pauca præſtare, quæ capite 13. ſuſius proſequemur.
29. Et vt ipſi nullam communionem haberent; magnæ tamen & graues cauſæ poſſunt eſſe, cur ipſos *Deus Opt. Max.* ad viuos autoproſopos redire vellet: quæ locum non haberent, ſi, quæcunque Spectra conſpiciuntur, Dæmonia ſint; ſi quicunque tumultus excitantur, à Dæmonibus excitentur; ſi quæcunq; moleſtiæ afferuntur, Dæmones habeant autores: has cauſas hic repetere neceſſe non eſt, alibi eaſdem proſecuti ſumus.
30. Nihil igitur eſt, quod prohibet *autoproſopos Spiritus* hos mortalium, vel viuentium rebus intereſſe. Quid quod multa oſtendant eoſdem ſæpius interfuiſſe? Omitto pro hac re communem populi Chriſtiani vocem grauiſſimam doctorum hominum ſententiam; in pri-



in primis B. Augustini, qui lib. de Cura pro Mortuis agenda cap. 15. 16. ait, non nisi impudenter negari id posse: idemque confirmat exemplo B. Felicis Nolæ Episcopi, quem ciuibus Nolanis apparuisse testatur sibi constare certis testibus: omitto etiã exempla; Samuelis, quẽ sacrę literę offerunt, & aliorum, quos probatę historię suppeditant: ipsa quorundam Spirituum species atque forma, vox & oratio, officia, hisquę similia magnum sæpe argumentum præbent, vt omnino autoprofopos Spiritus defunctorum nobis adesse credere debeamus.

Nec Abrahami ad Lazarum facta oratio nobis hic contradicit, in qua tamen plurimum præsidij quidam ponunt. Non enim respondet Abraham non posse, aut non solere ad hanc vitam redire mortuos; quemadmodum ante responderat. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est; vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint: sed respondet: Habent Moysen & Prophetas, &c.

Constitutum ergo hoc capite sit. & *Demoniorum Spiritus* ad viuentes autoprofopos reuerti, molestosquę esse: reuerti etiam autoprofopos *defunctorum* hominum, siue ignibus infernalibus ad tempus, siue perpetuò sint adiudicati. Sed qui frequentius? Hoc sequenti capite definiendum.

## CAP. X.

*Qui ex molestantibus Spiritibus frequentius autoprofopos rebus viuentium intersint, & qui rarius.*

**Q**UOD coniectura, rationeque consequi possumus in propolita quæstione, id tribus membris concludimus, *frequentissime rebus viuentibus interesse autoprofopos Spiritus Demoniorum; Rarius Spiritus purgandorum; Rarissime Spiritus damnatorum hominum.* In his astruendis eadem nobis hic seruiunt rationes, quibus superius, capite quinto docuimus *rarissime* molestas esse Spiritus hos postremos, *frequentius* secundos, *frequentissime* primos.

Et de *Demoniorum* Spiritibus res clara est multis argumentis. Primò, quia etiam quando plerique humanorum adsunt, ipsi non desunt: & sæpissime ipsi & suo priuato nomine molestant, & nomine Spirituum humanorum, quando omninò necesse est ipsos in propria persona adesse.

Deinde: